ac Tacito quædam usitatæ sententiæ minùs consentanea proferuntur in *Nova Chronologia;* ut uno anno communes fasti redundare probentur. Quæ res universè alio loco discussa, hîc interim, quatenus ad Claudii tempus præcipuè spectat, breviter explicabitur.

Suetonii. Suetonius igitur in vita Claudii cap. XXVII. scribit Britannicum vigesimo imperii die, inque secundo Consulatu patris Claudii in lucem editum. At constat Claudium IX. Kalend. Februarii imperare cœpisse. Proinde Februarii XII. natus est Britannicus: atque adeo anno Christi XLI. quo imperium iniit Claudius. Ergo Consulatus ejus suffectus, non ordinarius fuit. Atqui vulgares Fasti anno XLII. Consulem II. & quidem ordinarium ponunt Claudium. Ad hæc Suetonius idem Nerone, cap. VI. Neronem post IX. menses natum esse scribit, quàm Tiberius excessit, XVIII. Kalend. Januarii. Ergo anno Christi XXXVII. Tacitus verò lib. XII. refert Coss. C. Antistio, M. Suilio, hoc est anno Urbis conditæ DCCCIII. Neronem à Claudio antepositum Britannico biennio majorem. Igitur anno tertio ab ortu Neronis natus est Britannicus: atque ita triennio dumtaxat Caius imperavit.

Respondemus ad priorem Suetonii locum quod attinet; ambo ista quadrare non posse, ut & vicesimo imperii die, & in secundo Consulatu Claudii natus sit Britannicus. Etenim Consulatus III. Claudii cum secundo continuatus fuit; eodem teste Suetonio cap. XIV. ut de Dione, ceterisque Annalium Fastorúmve conditoribus taceam. At is incurrit in annum Urbis DCCXCVI. Christi XLIII. Ergo secundus ad annum pertinet Christi XLII. Præterea duos reliquos, qui præter pristinum à Claudio gesti sunt, per intervallum, quarto quémque anno contigisse refert idem Suetonius. At V. Consulatus convenit anno Urbis conditæ DCCCIV. Christi III. ante quem quarto anno, id est Urbis conditæ DCCC. Christi verò anno XLVII. quartus obtigit. Proinde tertius quarto etiam ante hunc anno, Urbis videlicet DCCXCVI. Christi XLIII. incidit: &, quod consequens est, secundus anno Christi XLII. Emendandus igitur, aut sanè non audiendus est Suetonius.

Taciti. De Tacito perspicua res est, ipsum à Suetonio dissentire, & Britannici ortum antevertere. Non est autem novum istiusmodi Scriptorum in historia dissidium.

Veteres inscriptiones excussæ. Rursus Inscriptionum veterum auctoritate pugnat; in quibus Tribunitiæ potestatis V. & Cos. design. IV. legitur: quomodo & apud Josephum lib. XX. Antiquit. cap. I. exstat in rescripto Claudii. Hinc enim colligit anno sexto imperii, non septimo Consulem fuisse quartùm. Quasi verò designari Consules in proximum dumtaxat annum, & non in plures solerent. Itaque anno Claudii V. Inscriptiones istæ exaratæ sunt, quo Tribunitiæ potestatis V. erat, & in annum tertium designatus Consul. Ac plerumque quadratariorum, vel exscriptorum culpâ fit, ut inscriptiones veteres mendosæ ad nos perveniant. Quorum alterum in illa contigit; quæ in Velaunis exstare dicitur, & à Grutero descripta est, TI. CLAUDIUS. CÆSAR. AUGU. GERMANICUS PONT. MAX. TRI. POTEST. V. IMP. XI. P. P. COS. IV. Sed procul dubio scriptum fuit, aut scribendum certè, COS. DESIG. IV. Nam huic gemina est altera, quæ Romæ in ductu Aquæ Virginis cernitur, TI. CLAUDIUS. DRUSI. F. CÆS. AUGUSTUS GERMAN. PON. MAX. TRIB. POT. V. IMP. XI. P. P. COS. DESIG. IIII. Ejusdem generis & alias tres habet Onufrius. (Pag. XXXIX, I.)

Quod autem rectè in Fastis primus Claudii annus, ac reliqui deinceps collocentur, & anno Christi XII. Caio successerit, inde etiam colligas. Sextus Aurelius Victor refert anno Claudii sexto in Ægæo mari repentè insulam ingentem emersisse, nocte, qua defectio Lunæ acciderat: eodem etiam anno octingentesimum Urbis more celebratum ait. Seneca lib. II. Natur. Quæst. cap. XXVI. insulam istam Valerio Asiatico iterum Consule prodiisse scribit. Tum lib. VI. cap. XXI. Therasiam hanc vocat, quam ætate sua natam asserit. Atqui anno vulgari Christi XLVI. Luna bis defecit. Primùm Januarii XI. hora post meridiem 5, 28′. in Horizonte Romæ, (uti Parisinæ Tabulæ nos docent) hora ferè integra post Solis occasum: ac digitos 8. defecit. Deinde ultimo Decembris: sive nocte illa, quæ inter ultimum Decembris, & Kalendas Januarias intercessit. Plenilunium verum ex iisdem Tabulis contigit Januarii I. anni Christi XLVI. hora 7. 19′. Romæ: Sole in gradu Capricorni 9, 10′. consistente. Ideo sub horam 7, 31′. ortus est. Fuit hæc defectio maxima, digitorum ampliùs 21. tenuitque horas 3, 48′. Initium ejus hora 5. 25′. finis hora 9, 13′. sesquihora ferè postquam occidit. Tota in umbram immersa est hora 6, 29′. in eáque horam 1, 41′. delituit. Hac igitur ipsa nocte nova insula prorupit, anno Claudii sexto, quo adhuc labente, octingentesimus Urbis incœpit, Claudio V. & Vitellio Coss. Plinius insulam istam Thiam appellat. Sed eamdem multò antea prodiisse significat: nempe M. Junio Syllano; & L. Balbo Coss. qui est annus Urbis DCCLXXII. quo sextus Tiberii cœpit. Quamquam & mendosa est Plinii putatio: qui anno quarto Olympiadis CXXXV. Theram & Therasiam emersisse scribit. Inter easdem post annos CXXX. Hieram, quæ & Automate. Et ab ea duobus stadiis post annos CX. Thiam. Annus quartus Olympiadis CXXXIV. iniit anno Periodi Julianæ 4473. Adde annos 240. confiet annus 4713. in quem vulgaris Natalis incidit: ante annos XIX. quàm Consules essent Syllanus, & Balbus: quadraginta verò sex ante verum tempus emersæ à mari insulæ.

In quo Plinii ac Senecæ non omittendus est error, quorum ille Theram insulam enatam refert anno quarto Olympiadis CXXXV. Atqui longè antiquior est: ut ex Herodoto lib. IV. Pausania in Laconicis, ceterisque constat. quam & Callisten antea nominatam Cadmus incolis frequentavit. Battus verò Cyrenarum conditor postea tenuit. Seneca verò Therasiam Asiatico Consule prodiisse scribit. Falsò id quidem. Nam & hujus insulæ Strabo lib. X. meminit. (Error Plinii & Senecæ.)

Eusebius in Chronico anno IV. Olympiadis CCV. Abraami MMLX. anno Claudii IV. *Inter Theram*, inquit, *& Therasiam exorta est insula habens stadia* XXX. Sed in quibusdam codicibus ad annum Claudii VI. id adscribitur, ut testatur Pontacus. Olim ad V. positum fuisse non dubium est. Quippe Orosius lib. VII. cap. VI. & Cassiodorus eidem anno imputant: Vinitio & Quartino Coss. Frustra igitur ex hujus auctoritate *Nova Chronologia* laborat annum unum Claudii imperio detrahere. Nam Eusebium Cassiodorus secutus est.

Claudio Cæsari successit Nero: imperavitque annos XIII. menses VIII. ferè: ut auctor est Dio. Suetonius paullò minùs IX. annos. Hujus anno quinto defectio Solis accidit: quæ ad dirigendos Annales conducere potest. Meminit Plinius lib. II. cap. LXX. *Solis*, inquit, *defectum, Vipsanio & Fonteio Coss. qui fuere ante paucos annos, factum prid. Kalendas Maias Campania hora diei inter septimam, & octavam sensit.* Tacitus iisdem Coss. Solem repentè obscuratum ait, lib. XIV. & Xiphilinus ex Dione. qui addit in mediis sacrificiis, quæ Agrippinæ causâ fiebant, totum ipsum defecisse: adeo ut stellæ conspicerentur. Sed integram defectionem neque Prætenicæ tabulæ, neque nostræ repræsentant. Ex his Novilunium verum deprehenditur Capuæ, in Campania hora 12, 58′. post XXX. Aprilis tempore physico. Apparens verò hora 13, 52′. Sol in gradu Tauri 7, 41′. Cœpit defectio hora 0, 39′. à meridie. Defiit hora 2, 59′. Tenuit horas 2, 20′. tempore apparenti: ac digitorum fuit 9. ferè. Arcus semidiurnus est horarum 6, 50′. Oritur ergo Sol hora matutina 5, 10′. Unde inter septimam, & octavam horam inæqualem, & diurnam eclipsis illa contigit in Campania: ut testis est Plinius. Etenim hora quælibet καιρικὴ tùm æqualium scrupula 70′. ferè continebat. Ideò summa obscuratio Capuæ visa sub horam diurnam 7, 42′. Ex quo Parisinarum tabularum illustratur fides. Convenit Vipsanii & Fonteii Consulatus in annum Urbis DCCCXII. Julianum CIV. Periodi Julianæ 4772. æræ Christianæ LIX. currente Neronis quinto. Nam sextus à III. Eid. Octob. postea cœpit. Quocirca decimus tertius Neronis incidit in annum æræ Christianæ LXVI. Julianum CXI. (Nero.)

CAPUT X.

De Herodis posteris, eorúmque temporibus, & iis maximè, quorum in Scriptura mentio.

IN sacrorum librorum historia frequens Herodis posterorum incidit mentio. Ad hanc igitur sine labe, & errore percurrendam; tum externam quoque dirigendam, & ab offensione vindicandam, utile est hoc caput. Nam & veteres nonnulli, ut observat Hieronymus, & illorum castigator ipse; & recentiores aliqui, propter Herodiadum ὁμωνυμίαν, & gestarum ab iis rerum implicatam seriem, alii aliis tolerabilius hallucinati sunt: gravissimè omnium, qui eam paucis abhinc annis quæstionem accuratissimè disputasse sibi visus est, Spalatensis Episcopus lib. IV. cap. I. ubi de Antiochena, Romanaque Petri cathedra disserens, ex Actis Apostolorum demonstrare studet, vel numquam, vel serò admodum Petrum adspirasse Romam, ibique sedem collocasse. Qua cum disputatione connexam Herodis illius, à quo vinctus est Petrus, mentionem sic attigit, ut in ea vehementiùs erraverit. Quocirca stirpem Herodis hoc in capite describemus, auctorem secuti Josephum, qui id unus accuratissimè percensuit, præsertim lib. XVII. cap. I. & XVIII. cap. VII. Herodes novem uxores habuit, imo decem. Prima fuit Dorcas Antipatri mater. Secunda Mariamme Hyrcani neptis, è qua nati sunt Alexander, & Aristobulus, quos Antipatri calumniis impulsus occidit. filiæ, Salampso, quæ Phasaëlo consobrino Phasaëli fratris Herodis filio nupsit; & Cyprus, quam duxit Antipater Salomes Herodis sororis filius. Tertia Mariamme altera Simonis, quam ad summum Sacerdotium evexit Herodes, filia, è qua genitus est Herodes. Quarta Marthaca Samaritana, quæ Herodem Antipam, Archelaum, atque Olympiadem filiam peperit. Quinta fuit Cleopatra Hierosolymitana, cujus filii Herodes, & Philippus. Sexta, Pallas, è qua Phasaëlus. Septima Phædra; cujus filia Roxane. Octava Elpis; è qua filia Salome. His adjungendæ duæ, quæ liberis caruerunt, nempe fratris filia, & consobrina. Herodis ergo filii novem recensentur. Antipater, Alexander, Aristobulus, Herodes I. Herodes Antipas, Archelaus, Herodes III. Philippus, Phasaëlus. Filiæ quinque, Salampso, Cyprus, Olympias, Roxane, Salome. Antipater privato adhuc Herode genitus Alexandro, & Aristobulo fratribus calumniis suis exitium attulit. Ipse postea ab Herode vinctus, & paullò ante mortem occisus est. Alexander è Glaphyra Archelai Cappadociæ regis filia liberos suscepit duos; Alexandrum, & Tigranem. quorum iste Armeniæ regnum obtinuit, & sine liberis mortuus est. ille Tigranem fratri cognominem genuit, qui Armeniæ rex à Nerone factus Alexandrum filium habuit, cui nupsit Jotapa Antiochi Comagenæ regis filia. Aristobulus verò quinque liberos suscepit ex Berenice Costobari & Salomes filia, mares tres; Agrippam magnum, Herodem, & Aristobulum; filias duas, Mariammen, & Herodiadem. Agrippa, qui Judææ totius regnum assecutus est, è Cypro Phasaëli & Salampsonis F. mares duos, filias tres genuit, Agrippam & Drusum; tum Berenicen, Mariammen, Drusillam. Ex his Drusus adhuc puer moritur. Agrippa verò cum Romanis obsidioni Hierosolymorum interfuit; quem pater moriens XVII. annos natum reliquit. Berenice patruo nupsit Herodi Chalcidis regi. Mariamme Julio Archelao Chelciæ filio; Drusilla Epiphani Commagenes regis filio à patre desponsæ fuerant. Herodes Agrippæ frater, qui & Chalcidis rex postea factus est, uxorem primùm habuit Mariammen Josepho fratre Herodis, & Olympiade ejusdem filia natam, ex qua genitus est Aristobulus: qui Salomen Herodis filiam saltatricem duxit, ex qua nati sunt Herodes, Agrippas, Aristobulus. Tertius Agrippæ frater Aristobulus Jotapen Sampsigerami Emesenorum reguli filiam duxit; e qua Jotapam filiam surdam suscepit. Herodias porrò soror Agrippæ Herodi primùm nupsit Herodis magni filio ex Mariamme Simonis Pontificis filia; è quo cùm Salomen filiam saltatricem genuisset, incestas & illegitimas cum Herode Antipa nuptias contraxit. At Salome Philippo nupsit Herodis filio Tetrarchæ. quo sine liberis mortuo, juncta est Aristobulo Herodis Agrippæ fratris filio, ut jam diximus. Mariamme Herodiadis, & Agrippæ soror Antipatro nupsit Herodis ex Doride filio. De Herode Antipa, Archelao, & Philippo Herodis magni liberis, mox pluribus agetur. Ex Herodibus reliquis Antipæ fratribus, prior è Mariamme Simonis filia genitus Salomes saltatricis maritus, ab Herode patre ex testamento, ac spe successionis abrasus est, quòd ejus mater insidias Herodi struxisset. Filiarum prima Salampso Phasaëlo consobrino suo Phasaëli fratris Herodis filio nupsit. Nati sunt illis Antipater, Herodes, Alexander; filiæ Alexandra, Cyprus. Hæc Agrippæ magni conjux. illa Timii Cyprii. Olympiadem verò aliam Herodis filiam Josephus duxit Herodis fratre genitus. Cyprum, Antipater Salomes Herodis sororis filius. (Joseph. lib. XVII. cap. I.) (Joseph. lib. XVII. cap. VI.)

Ex hac Herodis stirpe quinque sexve in Scriptura commemorantur. Archelaus, Herodes Antipas, Philippus, Herodes Agrippa, Herodias, ejúsque filia. De Archelao suprà mentionem fecimus, ejúsque initium ac finem circumscripsimus. Cœpit eodem, quo Herodes obiit, anno. Relegatus est ab Augusto, anno, si Dioni creditur, Juliano II. cùm decimum Tetrarchiæ annum inchoasset. Post hunc Judæa cum Hierosolymis ad Romanam provinciam adjuncta est, & Syriæ contributa. (Herodis posteri, quorum Scriptura meminit. Archelaus.)

Herodes Antipas dictus Marthacæ Samaritanæ filius uterinus Archelai fuit; ut auctor est Josephus lib. XVII. cap. I. At Temporarius Herodem Antipam ex Cleopatra susceptum, contra fidem Josephi prodidit. Hic ille est Joannis Præcursoris interfector, & irrisor Domini; qui post obitum parentis Galilææ Tetrarchiam Augusti arbitrio consecutus est. Idem & cum Herodiade nefarias nuptias copulavit, & ejus hortatu Romam ad Caium Imperatorem profectus est, ut ab eo regnum impetraret. Hoc enim graviter ferebat impotens fœmina, fratrem suum Agrippam à Caio ad eam dignitatem esse provectum. Cùm igitur similium spe virum suum incitasset, accusatus ab Agrippa, Lugdunum relegatus est; ejúsque Tetrarchia donatus Agrippa. Josephus lib. XVIII. cap. XVIII. Contigit anno Cai quarto ineunte, Christi quadragesimo, Josephus lib. XIX. pag. 603. Philippus Batanææ, & Trachonitidis Tetrarchiam annis circiter XXXVII. tenuit, mortuúsque est circa annum Tiberii XXII. Julianum LXXX. æræ Christianæ XXXV. ut libri hujus cap. IV. demonstratum est. Errat verò Temporarius, qui Philippum è Marthaca susceptum, & Archelai ὁμωνύμου fuisse scribit. Nam Josephus Cleopatræ filium facit. (Antipas. Philippus.)

Agrippa Herodis magni nepos, Aristobuli F. quem Herodem Lucas Act. XII. nominat, varia fortuna jactatus est, quam accuratè Josephus narrat lib. XVIII. cap. VIII. & IX. & lib. XIX. cap. IV. Primùm à Tiberio conjectus in vincula, quòd impensiùs Caio studens, imperium ipsi precatus fuerat; post illius obitum, à Caio summo in honore, ac pretio habitus, ac Philippi Tetrarchia cum regis appellatione donatus est, adjuncta Lysaniæ Tetrarchia, quod anno Cai primo ineunte contigit. Post anno Cai tertio, vel ineunte quarto, Herodis Antipæ Tetrarchiam, hoc est Galilæam ac Peræam obtinuit, relegato, uti dictum est, Antipa. Mortuo Caio, Claudius Agrippæ regnum amplificavit; additis Judæa, & Samaria, quæ Archelao quondam ademptæ fuerant. Ita universam Herodis ditionem Agrippa recuperavit. Obiit, auctore Josepho, lib. XIX. cap. ult. annum ætatis agens LIV. regni septimum: quorum primos quatuor Caio imperante transegit. Nam Philippi Tetrarchiam regis titulo tres circiter annos obtinuit; quarto, Herodis Antipæ Tetrarchiam à Caio meruit: reliquis tribus Judæa tota regnavit, Imperatore Claudio. Josephus lib. XIX. pag. 603. Ita tertio, quàm universam Judæam nactus est, anno exacto moritur; anno Dionysiano XLIV. Obiit Cæsareæ, quæ Stratonis Turris vocabatur, divinitus ab Angelo percussus, cùm spectaculis interesset, ac populi sacrilegas acclamationes, & adulationes lætis auribus acciperet. Act. XII. A quibus non multùm abhorret historia Josephi, capite illo VII. lib. XIX. etsi in nonnullis à Luca discrepat. velut cùm bubonem, super illius caput adstitisse refert: (Joseph. lib. XIX. cap. VII.) (Joseph. lib. XVIII. cap. VII.) (Agrippa.)

refert: Ἀνακύψας οὖν μετ᾽ ὀλίγον τὸν βουβῶνα τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς ὑπερκαθεζόμενον εἶδεν ἐπὶ σχοινίου τινός. ἄγγελον τοῦτον εὐθὺς ἐνόησε κακῶν εἶναι, τὸν καί ποτε τῶν ἀγαθῶν γενόμενον. *Sublatis ergo post oculis, bubonem supra caput suum funi cuidam insidentem aspexit: quem statim malorum sibi nuncium esse cognovit, qui bonorum aliquando fuerat.* Nam ut idem historicus lib. xviii. cap. viii. refert, cùm in vinculis esset Agrippa, & ad arborem quamdam sese mœstus acclinasset, bubo supra ipsum in arbore consedit. qua conspecta Germanus quidam unus è custodiis, libertatem illi, & amplissima quæque prædixit. nec non quinto antequam moreretur die, eamdem avem affuturam. Dubitari ergo nullo modo potest, quin Herodes ille, à quo Jacobus occisus, & vinctus est Petrus, Agrippa sit Aristobuli filius.

Herodias. Hujus soror fuit Herodias, quam Evangelistæ tres Philippo nupsisse primùm, inde eo relicto incestas cum Herode Antipa nuptias copulasse referunt, Mat. xiv. Mar. vi. Lucas iii. At Josephus lib. xviii. cap. vii. scribit Herodi magni Herodis filio ex Mariamne Simonis filiâ nupsisse, ex eòque susceptâ Salome filia, ad Herodem Antipam descivisse. Sic enim refert, Herodem Antipam Galilææ tetrarcham uxorem duxisse Aretæ Petræorum Arabum regis filiam. Cùm autem Romam aliquando proficiscens ab Herode fratre esset exceptus, quo cum erat Herodias, ejus amore captum occultam cum ea pactionem fecisse, ut ab Italia reversus, repudiata regis Arabum filia, ipsam duceret. quod & postea perfecit, cùm anteà rem subodorata Aretæ filia fugâ se ad patrem recepisset: ex quo bellum inter Arabem, & Herodem exarsit; in quo victus est Herodes. Hic error ille nonnullorum castigandus est, qui Herodiadem Aretæ regis Arabum filiam esse dixerunt; ut Hieronymus in Matth. & ex eo Beda.

Error Ruffini. Sanè Ruffinus in Eusebiana versione, lib. i. Hist. cap. xiii. pessima fide Græca sic interpretatur, ut ea loquentem faciat Eusebium, de quibus ne cogitavit quidem: quasi is ex Josepho referat, Herodiadem regis Aretæ filiam fuisse, cùm tamen Græca sine ulla ambiguitate narrent Herodem Antipam, priore conjuge relicta, regis Arabum Aretæ filia, Herodiadem sibi junxisse. Errat & Calvinus in Harmonia scribens ex Josepho, Herodem illum Herodiadis maritum regem fuisse Chalcidis, patruum ipsius Herodiadis; in quo bis peccat. Nam Herodes Chalcidis rex Agrippæ, & Herodiadis frater fuit, ut Josephus docet lib. xix. cap. iv. & vii. nec non lib. xx. cap. i. & iii. Absurdissimè item Erasmus in Annotat. ad Evangelia Herodem Herodiadis conjugem patrem ejus, à quo Christus illusus est facit. Redeo ad illud Josephi ab

Conciliatur cum Evangelio Josephus. Evangelistis dissidium. De quo tria probabiliter excogitari possunt. Aut enim hallucinatus est Josephus. aut Herodes ille prior conjux Herodiadis idem cum altero Philippo cognomentum habuit. aut Herodi primùm Mariammes secundæ filio; inde Philippo ipsi nupsit Herodias: ab eòque ad Antipæ nuptias posteà transiit. Quod enim aliqui suspicantur, Philippi nomen in Evangelicam historiam irrepsisse, id in tribus accidisse vix est credibile Quamquam in quibusdam Græcis codicibus M. S. Matthæi, atque Lucæ, nec non in cusis Latinis, Philippi nomen aberat. Agrippæ senioris frater Herodes Agrippa Chalcidis dynasta fuit. qui jus in templum & ærarium sacrum, nec non eligendorum Pontificum obtinuit à Claudio: ídque penes ejus posteros ad excidium usque mansit. Josephus lib. xx. cap. i. Moritur anno octavo Claudii, tribus relictis filiis; Aristobulo ex priori conjuge; è Bernice verò fratris Agrippæ filia, Berniciano, & Hyrcano. Idem Josephus cap. iii. Aristobulus à Nerone minoris Armeniæ principatum adeptus est. Idem cap. v.

Postremò Agrippa Aristobuli filio natus Agrippa junior, quo tempore mortuus est Agrippa pater Romæ apud Claudium Imper. educabatur, annos natus xvii. Quem cùm paterni regni successorem destinaret Claudius, à libertis deterritus est. Itaque Judææ, ac totius regni Procurator missus est Cuspius Fadus. Qui cùm stolam Pontificiam in Romanorum potestatem, & Antoniam turrim transferre vellet, Agrippa pro Judæis apud Claudium intercessit. Auctor Josephus lib. xx. cap. i. Agrippa porrò junior primùm à Claudio Chalcidis regno donatus est anno imperii octavo: ut refert Josephus lib. xx. cap. iii. Pòst ablata Chalcide ampliori auctus est principatu ab eodem Claudio; nempe Philippi Tetrarchia, Bathanæa, Trachonitide, & Abila Lysiæ Tetrarchia, anno Claudii xii. cùm jam quatuor annos Chalcidi præfuisset. Josephus cap. v. & lib. ii. de Excidio, cap. xi. ubi mendum opinor est. Scribit enim. Ἐκ δὲ τῆς Χαλκίδος Ἀγρίππαν εἰς μείζονα βασιλείαν μετατίθησι, δοὺς αὐτῷ τήν τε Φιλίππου γενομένην τετραρχίαν· αὕτη δ᾽ ἦν Βαταναία, καὶ Τραχωνῖτις, καὶ Γαυλωνῖτις. προσέθηκε δὲ τήν τε Λυσανίου βασιλείαν, καὶ τὴν Οὐάρου γενομένην ἐπαρχίαν. *Agrippam verò de Chalcide in regnum majus transtulit, tradens ei illam quoque provinciam, quæ Philippi fuisset.* (Malè vulgò Felicis.) *Erat autem ista Trachonitis, & Batanæa, & Gaulanitis. Addidit autem regnum etiam Lysaniæ, & Tetrarchiam, quam Varus rexerat.* Quæro quænam sit illa Vari Tetrarchia. Nam Abela sive Abila Lysaniæ fuit. Varus Syriæ præses ab Augusto missus est paullò ante magni Herodis obitum, ut refert Josephus lib. xvii. cap. vii. Suspicari posset aliquis partem aliquam Tetrarchiæ Lysaniæ post Herodis obitum Syriæ provinciæ contributam Agrippæ postea cessisse. Nam Abilena, sive Abilina regio Lysaniæ cuidam paruit, à quo & nomen in provincia resedit. quam Zenodorus quidam postea conduxit. unde Ζηνοδώρου οἶκος appellari cœpit. Augustus cùm Herodi ditionem in ejus filios divideret, Philippo partem quamdam attribuit Zenodori domus, id est Tetrarchiæ Lysaniæ. (Joseph. lib. xv. cap. xx.) Reliquam igitur fortean Syriæ, cui tum Varus præerat, adjunxit. quam Agrippæ juniori Claudius dedisse modò scribitur. Ideo rescribendum erit: καὶ δὴ καὶ τὴν ἀπὸ τὴν Οὐάρου γενομένην ἐπαρχίαν. Ac nescio an postquam Varus è Syria discessit, ea pars peculiari Tetrarchæ permissa sit. ut propterea nominatim Vari tempore Syriæ contributam fuisse dixerit.

Eidem Agrippæ juniori Nero Galilææ partem, hoc est Tiberiadem, Tarichæas, & Juliadem in Peræa, & Abilam: reliqua Felici Procuratori commisit. Josephus lib. xx. Orig. cap. v. & ii. de Excid. cap. xii.

CAPUT XI.

De Syriæ Præsidibus & Judææ Procuratoribus, qui ab Augusti ferè obitu ad excidium Hierosolymorum præfuisse leguntur.

PLURIMUM ad historiæ sacræ, quæ in Evangeliis, & Apostolorum Actis continetur, illustrandam seriem refert Magistratuum Romanorum, qui per idem tempus Syriam, & Palæstinam administrarunt, accurata cognitio. Quod ideo peculiari hoc capite complectendum putavi. Nam qui ante illud tempus provinciæ isti præfuerunt, ab aliis jam studiosè collecti sunt.

Hoc antequam facio, priùs nonnulla de ratione administrandæ Syriæ necesse est admonere. Provinciam itaque Syriam Augustus in divisione Provinciarum inter Cæsareas adscripsit, ut Strabo lib. xvii. Dio lib. liii. testantur. Quare ad eam administrandam Legati, vel Proprætores missi: qui & Præsides appellantur, & quidem Consulares. Id enim facere Augustus instituit. Ideo simpliciter Consularis nonnumquam pro Syriæ Præfecto sumitur. ut apud Josephum * lib. xviii. Orig. cap. vi. Vitellius. Alias στρατηγὸς, vel ἡγεμὼν vocatur. Interdum πρεσβευτής: ut Petronius cap. xi. & lib. xix. cap. vi. Præter hunc Magistratum minores alii destinati sunt. maximè Procuratores: qui & ἡγεμόνες, & Præsides aliquando nominantur: ex equestri ordine, vel etiam ex libertinis. quorum officium fuit vectigalia colligere, & impensas facere. Paullatim verò jus illorum amplificatum est: adeò ut sæpè de capitalibus caussis cognoscerent: præsertim in parvis provinciis, quibus nullus præter Procuratorem jus dicebat. Sed & in iis quoque, quas Cæsaris Legati, sive Præsides curabant, ut in Judæa contigit. Quæ tametsi Syriæ Præsidi subesset, maxima tamen in ea Procuratoris potestas fuit. Ac Procuratores à Cæsare mittebantur: neque de illis citra ejus mandatum Præsides cognoscebant. Tacitus lib. xii. Hist. *Cumanus & Felix coutationem afferebant: quia Claudius caussis rebellionis auditis, jus statuendi etiam de Procuratoribus dederat.* Ceterùm Procuratores Hierosolymis & in Judæa, Samaria, Galilæa, ac ceteris provinciis tamdiu fuerunt, quoad proprium nullum regem, vel dynastam habuerunt, cùm essent Syriæ contributæ. Proinde regnante Judæis Herode, ac postmodum Agrippa seniore, Procurator in Judæa nullus exstitit. Quinam autem reliquo ad excidium usque tempore Procuratores; ac regnante etiam Agrippa, Syriæ rectores fuerint, sparsim ex Josepho, & Tacito colligemus.

---

* Apud *Josephum* lib. xviii. cap. 5. ὑπατικὸς *consularem* virum significat. *Petavius.*

Imprimis ergo paullò ante Herodis obitum, Quintilius Varus Syriæ præfuit; ut Josephus lib. xvii. cap. vii. testatur. quem & Saturnino successisse dicit. In eadem Syria Procurator erat Sabinus, qui Herode mortuo Judæam quoque procuravit interim, dum Archelaus Roma reverteretur.

Post Varum proximè nullius meminit alterius Josephus, quàm P. Sulpicii Quirinii, qui Archelao relegato venit in Syriam, δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος, καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος: *missus ut illi provinciæ jus diceret, & bonorum censum haberet.* Sed haud scio an tam diu, hoc est decem ferè annis Varus Syriam rexerit. Cum Quirinio venit & Coponius Procurator Judææ ex equestri ordine, cum summa potestate. Verba Josephi. Κωπώνιός τε αὐτῷ συγκαταπέμπεται, τάγματος τῶν ἱππέων ἡγησάμενος, Ἰουδαίων τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ. Prava interpunctio Ruffino & Gelenio fraudi fuit. Vertit ille: *Mittitur etiam cum eo Coponius ductor totius equestris agminis, potestatémque Judæorum omnium gerens.* Gelenius; *Præfectus turmæ equitum.* Verùm Coponius ex equestri ordine fuisse dicitur: & post ἱππέων apponenda distinctio. Clariùs in lib. ii. de Excid. cap. vi. τῆς δὲ Ἀρχελάου χώρας εἰς ἐπαρχίαν περιγραφείσης, ἐπίτροπός τις ἱππικῆς παρὰ Ῥωμαίοις τάξεως Κωπώνιος πέμπεται, μέχρι τοῦ κτείνειν λαβὼν παρὰ τοῦ Καίσαρος ἐξουσίαν. *Archelai regione in provinciam redacta, Procurator equestris ordinis Coponius quidam mittitur, summa ei ab Cæsare potestate, etiam gladii permissa.* Judææ post Coponium M. Ambivius Procurator fuit. Cui successit Annius Rufus, quo procurante mortuus est Augustus. Post hunc Valerius Gratus anno ferè Tiberii secundo: ut alio loco disputavimus. Atque hic annis undecim administravit: donec successor ei datus est Pontius Pilatus. Hæc Josephus lib. xviii. cap. iii.

Quod ad Præsides attinet Syriæ, Silanus à Josepho memoratur eodem capite, qui imperante Tiberio Syriam rexit. Hic est Creticus Silanus, qui Vononem Parthorum regem custodia circumdedit; ut refert Tacitus lib. ii. Statilio Tauro, L. Libone Coss. anno Urbis conditæ dcclxix. quémque mox Tiberius C. Cœlio, L. Pomponio Coss. anno videlicet ab Urbe condita dcclxx. Juliano lxii. æræ Dionysianæ xvii. quo Tiberii quartus annus incœpit, demovit à Syria, cùm Germanicum amplissimo cum imperio mitteret in Orientem: ut lib. ii. Tacitus narrat. Hunc Augusto vivente, nempe anno Urbis conditæ dclxv. legatum in Syriam profectum, scribit Onufrius, & Pighius. Silano suffectus est Cn. Piso Germanico infensus, ob ídque delectus à Tiberio, eodem anno, quo Germanicus Orienti præpositus, nempe dcclxx. ab Urbe condita. Post hunc Cn. Sentius Saturninus Suriæ præficitur, non à Tiberio; sed à Legatis, & Senatoribus, qui in comitatu erant Germanici: postquam is videlicet non sine veneni à Pisone dati suspicione in Oriente mortuus est, & Piso è Suria coactus est decedere. Tacitus lib. ii. Contigit hoc anno Urbis conditæ dcclxxii. M. Silano, & L. Norbano Coss.

Exinde rectores Syriæ duo memorantur: quorum uter utrum antecessit dijudicare non est facile, L. Ælius Lamia, & L. Pomponius Flaccus. Tacitus lib. vi. extremo anni dcclxxxvi. Ser. Galbâ, L. Sullâ Coss. ambos esse mortuos refert. *Extremo anni mors Ælii Lamiæ funere censorio celebrata: qui administrandæ Suriæ imagine tandem exolutus Urbi præfuerat. Genus illi decorum, vivida senectus, & non permissa provincia dignationem addiderat.* Exin. *Flacco Pomponio Syriæ proprætore defuncto, recitantur Cæsaris litteræ.* Significat iis verbis Lamiam Syriæ rectorem delectum, sed adire prohibitum, Urbis tandem Præfectum fuisse: Flaccum verò in Syriæ administratione mortuum esse. Hic est ille Pomponius Flaccus, qui ob præmium compotationis & ebrietatis à Tiberio Syriam provinciam eodem tempore sortitus est, quo L. Piso Præfecturam urbanam. Suetonius cap. xlii. *Posteà princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco, & L. Pisone noctem, continuúmque biduum epulando, potandóque consumpsit: quorum alteri Syriam provinciam, alteri præfecturam Urbis confestim detulit, codicillis quoque jucundissimos, & omnium horarum amicos professus.* De Pisone testatur idem Plinius libro xiv. cap. xxii. Seneca Epist. lxxxiii. Quem quidem mortuum anno dcclxxxv. Cn. Domitio, & Cn. Camillo Scriboniano Coss. scribit Tacitus lib. vi. ubi & xx. annis in Urbis præfectura probatum ait. Et paullò antè: *Decus triumphale in Thracia meruerat. Sed præcipua ex eo gloria, quod Præfectus Urbis recens continuam potestatem, & insolentia parendi graviorem mirè temperavit.* Quod cùm viginti annis Præfecturam urbanam gessisse dicit, id est falsum. Neque enim ante annos xx. Imperator erat Tiberius: qui anno Urbis conditæ dcclxvii. iniit. Unde anno dcclxxxv. cœpit annus imperii xix. Præterea Pomponius Flaccus anno dcclxxii. Mœsiæ præpositus est, auctore Tacito lib. ii. Ut igitur anno sequenti Syriam adeptus sit; Piso verò Præfecturam: non potuit iste ampliùs annos xiii. Urbis esse Præfectus. Sed nec anno ipso, quo mortuus est Piso, Præfecturam gerebat; cùm Tacitus dicat *recens Urbis Præfectum*, hoc est nuper fuisse. Quare Lipsius pro xx. annis, x. rescribit. Neque vir doctus audiendus est, qui ex hoc Taciti numero demonstrare satagit, Tiberium biennio ante mortem Augusti imperium occœpisse: ut ab eo tempore ad Pisonis obitum anni sint xx. Verùm ex Pomponii Flacci proprætura Syriaca, quam eodem tempore sortitus est, nova hæc opinio refellitur: éstque pluribus suo loco refutata, cùm de initio Tiberii diximus. Nam ex ea sequeretur Pomponium Flaccum uno & viginti annis Suriam rexisse. quod absurdissimum est. Plures enim alii Syriam interim administrarunt.

Quocirca L. Ælium Lamiam arbitror primò Suriæ Præsidem à Tiberio delectum: sed eò minimè profectum esse, & urbanam Præfecturam consecutum. Post hunc verò Pomponius Flaccus in Syriam abiit, eámque diu, ut apparet, tenuit. Incertum tamen quot annis. Meminit hujus Josephus lib. xviii. cap. viii. Interim Judææ procurationem Pilatus obtinebat: quam decennio tenuit, usque ad Tiberii mortem.

L. deinde Vitellius post Consulatum Præses in Syriam mittitur anno ab Urbe condita dcclxxxviii. quo Tiberii xxi. iniit. Tacitus lib. vi. Hic Marcellum amicum ad procurandam Judæam destinavit; quem ordinarium Procuratorem fuisse non puto. Neque enim à Cæsare delectus est: sed à Præside tantisper impositus, dum à Principe mitteretur alius: ac per eumdem Pilatum Romam ad Tiberium navigare jussit, quòd à Judæis accusatus esset. Sed antequam eò perveniret; Tiberius fato functus est. Josephus libro xviii. Orig. cap. v. Ex quo patet Procuratorem Judææ Pilatum anno ab Urbe condita dcclxxx. circiter esse cœpisse, æræ Christi xxvii. quinto circiter ante Passionem Domini.

Pilato substitutus videtur à Caio Caligula Procurator Marullus anno primo principatus sui. Josephus lib. xviii. cap. viii. Ἱππάρχην δὲ ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας ἐκπέμπει Μάρυλλον. Ruffinus: *Magistrum autem equitum in Judæa constitutorum Maxillum destinat.* At Gelenius. *In Judæam autem Marullum misit Præsidem.* Sed Ἱππάρχου vocabulum non satis expedio.

Post Vitellium Præsidem Syriæ fuisse P. Petronium docet Josephus lib. xviii. cap. xi. ídque sub extremum tempus imperii Cai: ut ex narrationis illius serie liquet. Perperam ergo primo Cai anno Legatum hunc Syriæ facit Onufrius. Interim occiso Caio, Claudius ad imperium evectus Agrippæ seniori Judæam & Samariam concessit. Ideò Procurator hoc tempore nullus in Judæa fuit. Præses verò Syriæ Vibius Marsus Petronio suffectus est: ut ait Josephus lib. xix. cap. vi. & Tacitus lib. xi. ubi Bardani Parthorum regi Armeniam tentanti restitisse Marsum Syriæ legatum refert anno dccc. quo Claudii septimus incœpit. Quare Josephus ab eo dissentit.

Hic enim initio lib. XX. ſcribit Agrippa mortuo, Caſſium Longinum Marſo ſucceſſorem à Claudio miſſum, quod anno Claudii quarto contigit.

Statim autem ut Agrippa vita functus eſt, ejus regno Procurator datus eſt Cuſpius Fadus, ut ait Joſephus in calce lib. XIX. qui ſub Marſo & Longino Præſidibus illic fuit. Longini Syriæ Præſidis meminit & Tacitus lib. XII. ad annum DCCCII.

At Procurator in Judæa poſt Fadum Tiberius Alexander ab Joſepho proditur lib. XX. cap. III. Alexandrum Cumanus excepit anno octavo Claudii, eodem auctore. Qui cùm flagitioſè ac crudeliter in ea provincia verſatus eſſet, apud Quadratum Præſidem accuſatus, & Romam miſſus eſt, ibique damnatus exilio, ſucceſſorem habuit Felicem. De his operæpretium eſt ea inter ſe conferre, quæ ab Joſepho, & Tacito memoriæ tradita ſunt. Neque enim inter ſe congruunt. Tacitus lib. XII. ad annum DCCCV. quo duodecimus Claudii cœpit, refert damnatum à Quadrato Præſide Syriæ Felicem: quem & *jampridem Judææ impoſitum* dicit, ut eodem ſcilicet tempore Samariæ Procurator eſſet, quo Ventidius Cumanus Galilææ. Horum immanitate & avaritia provinciales irritati jam ad defectionem parati erant, cùm ea re comperta Claudius Quadrato jus ſtatuendi etiam de Procuratoribus dedit. Sed Felice, propter fratris Pallantis gratiam inter judices recepto, ſolus Cumanus flagitiorum damnatus eſt, quæ duo deliquerant: & quies provinciæ reddita. Hæc Tacitus. Joſephus autem lib. XX. cap. V. Judæos ſcribit vehementiùs contra Samaritas, Cumanúmque commotos apud Quadratum Præſidem de iſto potiſſimùm queſtos eſſe; ac Romam ad Cæſarem miſſos. Qui Cumanum exilio multavit: deinde Procuratorem in Judæam miſit Claudium Felicem. quod circa duodecimum imperii annum factum à Claudio ſignificat. Capite porrò ſeptimo Felici ſucceſſorem à Nerone datum ſcribit Porcium Feſtum: ac tum Judæos Felicem apud Cæſarem accuſaſſe: ſed Pallantis precibus à Nerone condonatum. Contigit hoc circa annum Neronis ſecundum, ut poſteà dicetur. Hac ratione biennium circiter Felix præfuerit: quem tamen Tacitus ait jampridem Judææ impoſitum. Quinetiam Paulus Actor. XXIV, 10. Felicem alloquens: *Ex multis annis*, inquit, *te eſſe judicem genti huic ſciens, bono animo pro me ſatisfaciam.* Ideo fruſtra eſt Lipſius, qui apud Tacitum *haud pridem*, pro *jam pridem*, ſubſtituit. Nobis ita conciliari diſſidium hoc poſſe videbatur. Anno circiter octavo Claudii Cumanus Galilææ, ac Judææ Procurator fuit; cùm Samariæ Felix præeſſet, ut ait Tacitus. Duodecimo deinde Claudii anno, damnatus Romæ Cumanus: Felix verò, qui Romam fortean & ipſe profectus erat, Pallantis fratris potentia non ſolùm ereptus periculo; ſed ampliori quoque ditione donatus à Cæſare, Judææ inſuper Procurator eſt factus. quam biennio circiter obtinuit: nimirum ab anno ineunte XIII. Claudii, uſque ad primum Neronis, quo eodem labente Feſtus ei ſucceſſit. Hinc eſt quòd Lucas Actor. XXIV, 27. ſcribit: *Biennio autem expleto accepit ſucceſſorem Felix Porcium Feſtum.* Quo de loco pleniùs in ſequentibus agetur.

De Felice Procuratore Joſephus etiam in libro de Vita ſua ſub initium meminit. ubi injuria ſanè reprehenditur in Annalibus. Scribit enim ſe anno ætatis XXVI. completo Romam profectum graviſſimis de cauſis. Nam cùm ea tempeſtate, qua Felix Judæam procurarat, Sacerdotes aliquos Romam vinctos miſiſſet, eorum liberandorum gratiâ ſe navigaſſe dicit: & verò compotem voti fuiſſe. Non ſcribit ſe Felice Procuratore navigaſſe; ut Annales ſumunt. Id enim cum eo quadrare non poteſt, quod paullò antè dixerat; natum ſe anno Cai primo, à quo ad ſecundum Felicis anni ſunt circiter XX. Unde ſexennii totius error illi tribuitur. Verùm qui à Felice ante annos quinque Romam miſſi fuerant; ii demum Joſephi opera vinclis exſoluti ſunt.

Anno ab Urbe condita DCCCXIII. quo Neronis VIII. iniit; mortuo Vinidio Quadrato Syriæ rectore, in ejus locum ſuffectus eſt Cn. Domitius Corbulo; ut ſcribit Tacitus lib. XIV. Feſto verò Procuratori ſucceſſit Albinus, eodem anno, quo & Corbulo Syriæ præpoſitus eſt, nempe VI. vel VII. Neronis, ut habet Euſebii Chronicon.

Corbuloni Præſidi Ceſtius Gallus: Albino Geſſius Florus Judææ Procurator ſucceſſit. Sub utroque bellum Judaïcum exarſit anno Neronis XII. Gallo ſive fato, ſive tædio ſublato, Veſpaſianus ad Judaïcas tribus opprimendas in Syriam mittitur. Tacitus Hiſtor. lib. V. Tum verò Præſidem fuiſſe Syriæ Mucianum idem Scriptor lib. I. Hiſtor. refert.

Hæc de Syriæ Præſidibus, ac Judææ Procuratoribus ex Joſepho, ac Tacito præſertim ſelegimus: quòd ea res ad inſequentem hiſtoriam non parum utilitatis afferret.

CAPUT XII.

De nonnullis rebus geſtis, quarum Lucas in Actis meminit; déque ſingularum temporibus.

PRÆCIPUA ſunt, Stephani martyrium; Pauli converſio; Jacobi Apoſtoli nex; Petri carcer; fames quam Agabus prædixit, Concilium Hieroſolymitanum, tum variæ Pauli peregrinationes. Quarum omnium quæſtionum diſceptatio ad Antiochenam, Romanámque Petri ſedem ſtabiliendam προπαρασκευή quædam erit.

Stephani mors. Stephanum brevi poſt Aſcenſionem Domini intervallo necatum eſſe, & quidem eodem anno, rectè in Annalibus docet Baronius. quo tempore Chriſtiani per varias Judææ civitates fugâ dilapſi ſunt. Actor. VIII, 4. Pauli verò converſio tertio anno à Paſſione Chriſti ineunte contigit, ut argumentatione iſta colligitur. Hieronymus in Catalogo refert Paulum anno poſt Paſſionem triceſimo ſeptimo mortuum eſſe, Neronis XIV. Chryſoſtomus verò Homilia de Principibus Apoſt. Tomo V. ſcribit Paulum XXXV. annis Chriſto ſerviiſſe. Incidit Apoſtolorum martyrium in annum æræ Dionyſii LXVII. quo decimus tertius Neronis deſiit, cœpítque decimus quartus; uti mox probabitur. Si igitur de LXVII. annis deducas XXXV. reliqui ſunt XXXII. Proinde XXXIII. ineunte Paulus converſus eſt, anno Juliano LXXVIII. Tiberii XIX. labente.

Jacobi mors, & Petri carcer. Jacobi mors, & carcer Petri ex annis Herodis Agrippæ certiſſimè deducuntur. Hunc enim oſtendimus ex Joſepho quatuor annis in Galilæa regnaſſe, ceteríſque provinciis præter Judæam, & Samariam, imperante Caio: tres autem reliquos annos Claudio Imperatore tranſegiſſe. qui ſimul atque nactus eſt imperium Agrippæ Judæam & Samariam attribuit. Quare ex eo tempore Judææ rex totius Agrippa fuit, adeóque Jeroſolymis regnavit, quæ hactenus Herodiadum ditioni ſubtracta, ac Romanis magiſtratibus permiſſa fuerat. Ab anno itaque Juliano LI. quo relegatus eſt Archelaus, ad annum Julianum LXXXVI. æræ Dionyſianæ XLI. quo Claudius iniit, annis XXXV. nullus ex Herodis ſtirpe Jeroſolymis præfuit. Ab anno verò Claudii primo Herodes Agrippa eam civitatem obtinuit. Quod quidem ex Claudii reſcripto demonſtratur, quod Joſephus lib. XIX. cap. IV. refert. Nam cùm ſtatim poſt necem Caii ſucceſſor ejus Claudius Agrippam Judæa, & Samaria donaſſet, ille in Palæſtinam Roma ſubinde profectus eſt; eíque digredienti Claudius litteras dedit in Judæorum gratiam Alexandriam, & in Syriam perferendas. In iis litteris Claudius δημαρχικῆς ἐξουσίας ſimpliciter dicitur; quod argumento eſt primo anno imperii ſcriptas fuiſſe. In ſecundo reſcripto additur ὕπατος χειροτονηθεὶς τὸ δεύτερον, *Coſ. deſignatus* II. Secundum Conſulatum geſſit Claudius anno Chriſti XLII. imperii ſecundo: deſignatus autem ſuperiore fuit. Agrippa verò celerrimè, ut ait Joſephus cap. II. Hieroſolymam properavit, & Judæos omnibus officiis demereri ſibi ſtuduit. Itaque probabile eſt, anno ipſo Dionyſiano quadrageſimo primo, quo ab Judæis iniret gratiam, ſtatim in ipſo Jeroſolymorum poſſeſſionis exordio, de Jacobo, & Petro pœnas voluiſſe ſumere. Ita anno undecimo poſt Dominicam paſſionem Jacobus occiſus, Petrus in vincula conjectus eſt.

Fames à Agabo prædicta. Illuſtrat hanc hiſtoriam famis illius tempus, quam Agabus Propheta Antiochiæ prædixiſſe fertur Actor. XI, 28. quæque Imperatoris Claudii tempore contigit, ut ſcribit Lucas; licèt annum ejus non memoret. Dio lib. LX. prodit anno Claudii ſecundo, ipſo Claudio, & C. Licinio Largo Coſſ. ingenti fame laboratum eſſe: cui Imperatoris providentia egregiè ſubventum eſt. Joſephus

Joſephus libro Orig. XX. cap. II. famis alterius meminit, quæ eodem Imperatore contigit, anno ejus quarto, vel quinto. Non eſt eadem cum ſuperiore, tametſi in Annalibus miſceantur. Euſebius in Chronico famem ab Agabo prædictam, quam & libro Hiſt. II. cap. XI. cum ea, quam Joſephus refert, confundit, in annum quartum Claudii confert. Hunc Oroſius ſequitur lib. VII. cap. VI. Verùm Claudii ſecundo potiùs ea fames incidit, quam Joſephus memorat; altera verò, quam Dio memoriæ prodidit, Claudii quarto, non quinto. Quòd illa fames à Luca memorata, ſit ea, cujus meminit Dio, primùm ex eo ſuadetur, quòd altera, quam Joſephus refert, Judææ propemodùm ſolius fuerit: at Lucas toto orbe graſſatam dicit eſſe famem. Deinde quòd, ut ex Lucæ narratione conficitur, prior fames vivo adhuc Agrippa ſæviit. Etenim ante Petri carcerem, & Jacobi cædem, Paulus & Barnabas collatitium æs Hieroſolymam portarunt; quod ad famis ab Agabo prædictæ ſubſidium ultrò ſibi Chriſtiani Antiochenſes indixerant. Quare brevi poſt illam contributionem tempore fames incidit. At Herodes Agrippa poſt annum tertium Claudii mortuus eſt. Non poteſt igitur illa fames eſſe, quæ ab Joſepho refertur, quæ quidem poſt Agrippæ mortem accidit, anno Claudii quinto. quod ita demonſtratur. Joſephus lib. XX. cap. I. ſcribit Agrippa mortuo filium ejus Agrippam juniorem, qui Romæ apud Claudium erat, ab eo poſtulata Judæorum impetraſſe: nempe uti Pontificia veſtis ipſorum poteſtati permitteretur. cujus rei tempus ex reſcripto Claudii ad Judæos obſervari poteſt. Καῖσαρ Γερμανικός, δημαρχικῆς ἐξουσίας, τὸ πέμπτον ὕπατος ἀποδεδειγμένος, τὸ τέταρτον αὐτοκράτωρ, τὸ δέκατον πατὴρ πατρίδος, Ἱεροσολυμιτῶν ἄρχουσι. Ita in Germanica editione, quæ prava interpunctione laborat. Sed vetus eſt interpunctionis illud mendum. Nam in Ruffini verſione cernitur. Sic enim reddidit. *Claudius Cæſar Germanicus, Tribunitiæ poteſtatis, quinquies Conſul, ordinarius quater, Imperator decies, pater patriæ, Hieroſolymorum principibus.* Ex quo Joſephus in Annalibus Eccleſ. Anno XLVI. Num. IX. acerrimè reprehenditur, quod quæ illîc geſta dicuntur referat ante annum quinti Conſulatus Claudii, qui fuit Imperii ejus decimus: nec non ante famem illam toto orbe graſſatam, quæ anno ſecundo Claudii contigit. Sed extra culpam Joſephus eſt. Sic enim reddendus ille locus fuit. *Claudius Cæſar Germanicus, Tribunitiæ poteſtatis quintum, Conſul deſignatus quartum; Imperator decimum, Pater patriæ.* Anni Tribunitiæ poteſtatis totidem ferè ſunt, quot Imperii, ut refert Dio. Quare fuerit hic annus Claudii quintus, quo in annum imperii ſeptimum, Conſul IV. deſignatus eſt. Conſulatum enim geſſit anno ſeptimo: at quintum anno undecimo. Perperam autem Ruffinus ἀποδεδειγμένον vertit ordinarium. Joſephus porrò ſequenti capite ſub idem tempus, quo reſcripſit Claudius, famem incidiſſe refert, cui opitulata eſt Helena Adiabenorum regina. Unde perſpicuum eſt non anno Claudii quarto, ſed quinto famem incubuiſſe, cujus mentionem facit Joſephus; nec eamdem eſſe cum altera, quæ Actorum XI. memoratur.

I. adventus Pauli Hieroſolymam. Reſtant variæ Pauli profectiones, & Hieroſolymitana Synodus, ad quam Apoſtoli convenerunt. de quibus ſic habeto: quinquies omnino Paulum Hieroſolymam veniſſe. Prima profectio eſt illa, cujus Lucas meminit Actor. IX, 26. & Paulus Epiſtolæ ad Galatas I, 18. ubi poſt annos tres à converſione dicit ſe Hieroſolymam adiiſſe, ut videret Petrum. Hoc igitur fecit anno æræ Dionyſianæ XXXVI. Nam XXXIII. anno converſus eſt, & poſt annos tres Hieroſolymam adiit. Ibi à Barnaba deductus eſt ad Apoſtolos. Expletis ibidem diebus undecim cùm Helleniſtas in ſeſe concitaſſet, Cæſaream abiit: indéque Tarſum petivit. Act. IX, 30.

II adventus Pauli. Secunda profectio legitur Act. XI, 30. Nam Barnabas ab Apoſtolis miſſus eſt Antiochiam. Unde ille Tarſum abiit, ut quæreret Saulum. quo cum reverſus Antiochiam annum ibi cum eo commoratus eſt. Sed cùm Agabus Propheta famem ingentem prædixiſſet, Antiochenſis Eccleſia collatitium æs per Saulum & Barnabam Hieroſolymam deſtinavit. Contigit ea fames ſuperſtite adhuc Agrippa, quem obiiſſe demonſtravimus anno tertio Claudii, Chriſti deſinente XLIII. vel ineunte XLIV. Quare anno Chriſti XLII. fames incidit, poſtquam Jacobus occiſus, Petrus in vincula conjectus eſt, anno Chriſti XLI. quo & Paulus cum Barnaba collatitiam ſtipem Hieroſolymam portavit. Quo officio perfuncti Antiochiam regreſſi ſunt; cap. XII, 25. Poſt hæc iidem ambo, jubente Spiritu ſancto, Seleuciam, & in Cyprum profecti ſunt. Ibi Sergius Paulus à Saulo converſus ad fidem viciſſim nomen vertit Apoſtoli. Is enim deinceps Paulus appellari cœpit. Sergius iſte ἀνθύπατος à Luca nominatur. Rectè noſter Interpres *Proconſul.* Imperitè Beza *Proprætor.* Atqui Cyprus, inquit, non erat Conſularis, ſed Prætoria provincia: uti Strabo in calce operis docet. Movit hæc ratio pios aliquot & Catholicos Scriptores non ut mutarent aliquid; ſed ut Proconſulem ideo vocari Sergium crederent, quia Ciliciæ Proconſulari Sergius præerat. Huic autem interdum Cyprum adjunctam eſſe probat Sigonius lib. I. de Ant. jure Provin. cap. XIV. Sed hoc libera dumtaxat Republica factum: & quidem brevi tempore. Nam ſubinde Prætoria Cyprus exſtitit. ut in fine lib. XIV. Strabo teſtatur. Poſtea ex Auguſti diviſione, qua provincias bifariam partitus eſt anno ab U. C. DCCXXVI. Octavio ipſo VI. & Agrippa II. Coſſ. ut auctor eſt Strabo libro XVII. Dio lib. LIII. Proconſulares duæ dumtaxat populo permiſſæ; Aſiæ pars major, quæ Haly fluvio, & Tauro monte terminatur: & Africa. reliquæ Prætoriæ; quas numero decem Strabo recenſet: ac nonam ordine Cyprum. Verùm anno DCCXXXII. uti Dio lib. LIV. ſcribit, Auguſtus Cyprum & Narbonenſem Galliam populo dedit. καὶ οὕτως ἀνθύπατοι καὶ ἐς ἐκεῖνα τὰ ἔθνη πέμπεσθαι ἤρξαντο: *Et ita Pronconſules etiam in iſtas provincias mitti cœperunt.* Docuit enim lib. LIII. magiſtratus omnes, qui à Senatu in populares provincias mittebantur, Proconſules appellatos, etiam qui Prætores tantummodò fuiſſent, Prætoriiſve inſignibus ornati. è contrario qui à Cæſare mitterentur, etiamſi Conſulares eſſent, nonniſi legatos, vel Proprætores vocatos. Quare Sergius Paulus Cypri Proconſul erat, non Ciliciæ. Bezæ hallucinatio.

Digreſſus inde Paulus Pergen Pamphyliæ venit: tum Antiochiam Piſidiæ: atque adeo magnam Aſiæ partem pervagatus eſt. quod Lucas cap. XIII. & XIV. deſcribit. Poſt Antiochiam Syriæ regreſſi (cap. XIV, 26.) illîc diu manſerunt (com. 28.) Secundùm hæc orta contentione ſuper Judaïcis ritibus, Paulus & Barnabas ab Antiochenſi Eccleſia Hieroſolymam mittuntur.

Tertiò igitur Hieroſolymam Paulus adſpirat. Actor. XV. quod & Gal. II, 1. commemorat: & poſt quatuordecim annos accidiſſe dicit: nimirum à triennio illo, quod antecedenti capite com. 18. poſuerat: uti XVII. anni à converſione Pauli ad hunc tertium adventum fluxerint. III. adventus & Concilium Hieroſolymitanum. Quocirca cùm Paulus ſancti Spiritus inſtinctu Hieroſolyma proficiſci vellet; ut ipſe cap. II. ad Gal. ſcribit, acceſſit ad Dei mandatum ab Antiochenſi Eccleſia impoſita legatio: cujus occaſione primum Hieroſolymis Concilium Apoſtoli celebrarunt. Neque Bezæ rationes, quibus conjecturam hanc oppugnat, valdè nos commovent. Scio in Annalibus XIV. annos à Paulo numeratos ab ipſa converſione putari. Nos Hieronymum libentiùs ſequimur; qui poſt annos XVII. à converſione adventum Pauli collocat, de quo cap. II. ad Gal. Ita æræ Chriſtianæ XLIX. quo Claudii nonus iniit, Paulus eò pervenit. At in ea, quæ eſt ad Galatas primæ dumtaxat, & tertiæ profectionis meminit; ſecundam omiſit: ideò fortaſſe, quod levioribus eam de cauſis ſuſceperat; nimirum ut collatitiam pecuniam deferret: non ut de functione ſua, prædicandíque munere cum Apoſtolis conferret: quæ primæ ac tertiæ profectionis occaſio fuerat. Id enim agebat in ea ad Galatas, ut ſe Evangelium ſuum non ab ullo accepiſſe mortalium, ſed à Deo ſolo, perſuaderet. Quare illas tantùm profectiones attigit, quæ αὐθεντίαν, & auctoritatem ſuam approbarent. Nam primam idcircò retulit, ut nonniſi triennio poſt converſionem ſuam viſum à ſe Petrum, & alios Apoſtolos oſtenderet; adeóque nec ab iis Evangelium didiciſſe. Tertiam verò, quòd ex ea conſtaret, veram & legitimam ſuam eſſe doctrinam: quódque ſpecimen exſtaret in illa quoddam ejus dogmatis, quod Galatis commendare vellet. Secunda profectio, cùm nihil haberet ejuſmodi, quod ad rem pertineret, ab Apoſtolo prætermittitur.

Reverſus Hieroſolymis Paulus, ac finito Concilio, Antiochiæ cum Barnaba conſtitit. à quo divulſus Sila comite Syriam ac Ciliciam peragravit: cap. XV, 41. Tum Phrygiam, Galatiam, Myſiam, Troadem, Macedoniam,

cedoniam, Achaiam. Corinthum cùm venisset, Judæum ibi reperit Aquilam cum Priscilla conjuge; qui nuper ex Italia venerant, ob edictum Claudii, quo Judæos egredi Roma jusserat. Hæc Lucas cap. XVI, XVII, & XVIII. Hinc Ephesum petiit; ubi brevi tempore moratus Cæsaream, & inde Hierosolymam venit.

IV. adventus. Quartus itaque Pauli adventus describitur cap. XVIII, 22. Cùmque Hierosolymis aliquantum temporis resedisset, in Galatiam, & Phrygiam regressus est: ac demum Ephesum, cap. XIX, 1. ubi biennium integrum docendo consumpsit: com. 10. & cap. XX, 31. Tertio igitur anno Hierosolymam rursus aditurus, ivit in Græciam, ubi tribus mensibus positis, in Macedoniam venit, atque inde post azymorum dies navigans in Asiam (ut est cap. XX. com. 6.) Miletum appulit. Ibi allocutione facta, rursus Hierosolymam advenit.

V. adventus. Quinto ergo, ultimòque Paulus Hierosolymam circa Pentecosten adiit: Act. XX, 17. ubi & à Judæis captus, ac Romanis Præsidibus traditus est: primùm Felici; deinde Porcio Festo, cap. XXIV, 27. Quo in versu legitur, biennio expleto Felicem accepisse successorem Porcium Festum. διετίας πληρωθείσης. Potest bifariam id intelligi. Aut enim biennio toto in potestate Felicis, & in vinculis fuit. aut biennium dicit, quo Felix Judæam procuravit; uti superiori capite demonstravimus. Constat autem ex Eusebii Chronico, & Hieron. lib. de Viris Illust. Paulum anno secundo Neronis Romam esse deductum. Felicem porrò sub idem tempus excessisse Judæa jam diximus. Duorum igitur alterum sequitur. Vel enim peragrationes illæ provinciarum omnes, quæ à cap. XV. Actuum ad XXI. à Luca describuntur, quinque solidis annis circumscribendæ sunt: si biennio toto apud Felicem resederit. ut cùm anno Christi XLIX. quo cœpit Claudii IX. Hierosolymitanum Concilium peractum sit; anno ultimo Claudii, Christi LIV. Hierosolymam postremò venerit: & sic anno Christi LVI. quo desiit Neronis annus secundus, Romam adierit. Vel si biennium de Procuratione Felicis intelligendum est, anno Christi LV. Neronis primo currente Hierosolymam pervenit: sequente, Romam. Secundum priorem sententiam Ephesum incolere cœpit sub finem anni Christi LI. qui tertius est ab anno celebrati Concilii. Nos posteriorem rationem magis amplectimur. Ita enim laxius intervallum peregrinationibus Pauli, & Ephesinæ illi commorationi tribuitur; quam anno Christi exeunte LIII. inchoasse videtur. Vide quæ de Felice & Festo Procuratoribus superiori capite disputavimus.

Ex iis omnibus hunc in modum digestis liquet, primum illud Apostolorum Concilium anno Christi XLIX. contigisse, quod ita docetur. Paulus Orosius lib. VII. cap. VI. scribit anno nono Claudii expulsos per Claudium urbe Judæos, & auctorem citat Josephum. Atqui quorumdam veterum ex sententia, quam laudat Hier. in cap. II. ad Galat. post annos XVII. à conversione Pauli, celebratum est Hierosolymis Concilium. ut eadem sit profectio, quæ Act. XV. & Galat. II. describitur. Consequens est ergo Concilium illud anno Christi XLIX. peractum videri; qui est decimus septimus à Conversione, & nonus Claudii. Nec ab ea conjectura dimovemur; singulari Dei providentia factum esse, ut & Petrus Urbe tum cedere jussus Hierosolymam adveniret, ac Concilio huic interesset: imò verò præesset.

CAPUT XIII.

De Antiochena, & Romana Petri sede. Spalatensis & aliorum argumenta contra communem Catholicorum de ea re fidem dissolvuntur.

PETRUM Apostolum Antiochenam, ac Romanam Ecclesias fundasse, veteres plerique memoriæ prodiderunt: quod sic interpretamur, ut Episcopales illic sedes & ab eo primùm constitutas, & occupatas intelligant. Hanc ab omni vetustatis memoria traditam historiam hodierni Hæretici magno conatu labefactare student; patronum suum, & auctorem secuti. Calvinus enim lib. IV. Institut. cap. VI. §. XIV. & XV. parum quidem abest ab eo, uti Petrum Romæ umquam fuisse neget omninò. Sed inveterata tot sæculorum auctoritate, consensionéque deterritus, hoc scilicet unum remittit, ut illum Romæ mortuum esse concedat. quod autem vel Episcopus illius urbis aliquando fuerit; vel diutiùs in ea mansérit, id verò prorsus inficiari se dicit. In eamdem quæstionem, erroríque patrocinium vehementiùs nuper Spalatensis incubuit; qui lib. IV. cap. I. adversus utramque Petri sedem uberrimè, ac scrupulosissimè disputavit; *nodum hunc vix solubilem esse* præfatus, quem nihilominus soluturum se professus est, atque ex ipsis sacræ Scripturæ fontibus rem ita illustraturum omnem, ut *adversus torrentem Scriptorum* (iic enim loquitur) *regia via procederet.* Sed ubi tam magna, & præclara minatus est, ac reconditæ cujusdam, neque vulgaris iis in rebus peritiæ spem lectoribus ostendit, incredibile est dictu, quàm se imperitè in tota illa temporum controversia jactaverit; adeo sanè, ut ne prima quidem elementa artis illius, quam profitebatur, se didicisse fidem fecerit. De quibus cùm ante biennium ferè Reverendissimi D. Nicolai Coëffeteavii Massiliensis Episcopi P. M. rogatu hortatúque Dissertationem scripserim, quam ille luculento, & egregio Operi illi intexuit, quod contra Spalatensem edidit; quæ illic fusiùs atque uberiùs exposuimus, summatim hoc in loco, quæ est propria sedes quæstionis illius, perstringenda putarimus.

Propositum est Spalatensi, ex Actorum Apostolicorum historia; nec non ex Epistolis Pauli, veterem illam παράδοσιν falsitatis arguere. Primùm ergo demonstrare studet, Antiochenam sedem numquam à Petro constitutam; neque verò Petrum, nisi ferò admodum, ac post fundatam ibi Ecclesiam Antiochenam advolasse. Tum verò Romam adiisse longo pòst spatio, quàm Paulus eodem venisset, ac sub extremum vitæ tempus. Ita falsissimum illud esse, quod vulgò perhibent; Petrum Antiochiæ septem annis, Romæ quatuor & viginti sedisse. Argumenti caput illud est: Petrus antequam ab Herode vinciretur, pedem extra Judæam non extulit. Ideo ne Antiochenam quidem sedem, nedum Romanam ante tempus illud excitare potuit. Quod autem ante carcerem suum extra fines Judææ non excurrerit, ex Actorum historia sic ostendit. Post necem Stephani, Discipuli per Judæam, & Samariam dispersi sunt, præter Apostolos. Mox Samariam Petrus cum Joanne mittitur, Act. VIII. Posteà conversus est Paulus, altero anno post Passionem Christi. Post triennium quàm conversus est, Paulus Hierosolymam venit, ut Petrum videret. Galat. I. Quare nondum Petrus è Judæa migraverat. Secundùm hæc, pace per Ecclesias constituta, Petrus Judæam, Galilæam, & Samariam peragravit: Act. IX. Hinc Jerosolymam revertitur, Act. XI. Nec dum ergo Antiochenam fundarat Ecclesiam: cujus prima fundamenta jacta sunt à Christianis Cypriis, & Cyrenæis: Act. XI, 20. quo tempore ad Apostolos, qui erant Jerosolymis, fama pervenit. Unde Paulus & Barnabas Antiochiam missi sunt. De Petro verbum nullum. Inde cùm ingens fames Imperatore Claudio grassari cœpisset, Paulus, & Barnabas collatam ab Antiochenis pecuniam Jerosolymam comportarunt. Paulum verò privatim & illud movebat, ut cum Apostolis Evangelium conferret. Act. XI, 28. & Galat. II. Est hic secundus Pauli Jerosolymam adventus, post annos à conversione quatuordecim, ut ad Galatas scribens ipse testatur. Idem verò est annus Christi XLIX. Claudii VI. quod ex Romanorum Imperatorum successione colligit. Nam decimo quinto anno Tiberii baptizatus est Christus annum agens tricesimum. Tiberius annis XXIII. imperavit; Caius IV. Claudius XIII. Ita conversio Pauli incidit in annum Tiberii vicesimum, Christi XXXV. His adde XIV. annos à conversione Pauli, ad secundum adventum, confient anni XLIX. nempe Christi XXXIV. & IV. Tiberii; totidem Caii, & VI. Claudii. Proinde anno Claudii sexto, Christi quadragesimo nono, fames illa contigit, de qua Lucas agit Act. XI. Hactenus Petrus in Judæa permansit. Cùm enim Paulus ad collectas portandas Hierosolymam per idem tempus venisset, cum Petro, & aliis quibusdam Apostolis caput contulit, ut ad Galatas scribit, cum iisque fœdus iniit, ut ipse Gentibus, Petrus Judæis prædicaret Evangelium. Post hæc Petrus ab Herode vinctus est, Jacobus capite truncatus, Act. XII. Elapsus è vinculis Petrus Antiochiam denique pervenit. Neque verò ante hoc tempus urbem illam adiit, hoc est Claudii Imperatoris annum sextum. Non longè postea rediit Petrus Hierosolymam ad Concilium, de quo Actor. XV. quod anno Claudii octavo

octavo celebratum est, Christi LI. à quo tempore si sex, septémve annos Antiochenæ sedis ineas, paucissimi ad Romanæ tempus anni reliqui sunt.

Ex iis concludit, Paulum diu ante Petrum Romam aspirasse; cùm Petrus nonnisi sub extremum vitæ tempus eò profectus sit; nempe ut Simonis Magi conatibus obsisteret. Brevi autem post congressum illum cum Simone jussu Neronis interfectus est.

Hæc de Spalatensis longa, & odiosa disputatione summatim decerpsimus, quæ jamdudum à Calvino, & Magdeburgensibus, aliisque, Catholicis objecta fuerant; & ab ipsis variè pro cujusque captu dissoluta. Nos ubi eadem Chronologicis ex principiis, quæ superioribus capitibus posita sunt, accuratiùs, validiùsque, quantum spes est, confutaverimus, certam aliquam rationem utriusque sedis & intervalli statuemus.

Refelluntur Spalatensis argumenta. Primùm itaque quòd Petrum, antequam in carcerem ageretur, è Judæa migrasse negat, temerè facit, & imperitè. Quamvis enim certis illis temporum opportunitatibus Hierosolymis, aut alibi Judææ versatus sit, & ibidem à Paulo conventus, non ideo consequens est, nusquam toto illo spatio interim excurrisse; aut ibi, ubi temporibus illis est deprehensus, assiduum hæsisse. Post triennium enim à Pauli conversione Antiochiam profectus est, ubi & Episcopalem sedem constituit, ut paullò pòst dicam. Nihil igitur è Scripturarum auctoritate Spalatensis Chronologia promovet; è qua sola negotium se confectúrum ostenderat; nisi id ex eadem demonstret; toto illo intervallo, quod à Passione ad Petri carcerem elapsum est, Judæa non excessisse, neque Antiochiæ fuisse Petrum. quod ne littera quidem probavit. Sed nec Antiochiæ primùm Christiani visi sunt illo tempore, quod Actorum XI, 22. designatur; quando ad Ecclesiam, quæ erat Jerosolymis, Christianæ rei in illa urbe propagatæ nuncius allatus est. Nam aliquot annis anteà, post necem Stephani, dispersi Christiani Antiochiam quoque Christianam fidem importarunt. quod Lucas eodem capite, com. 19. significat. Quare stupidum est, tam seriò Christianam fidem Antiochiæ susceptam esse contra expressam Lucæ auctoritatem asserere. Satis enim hic apertè demonstrat; subinde post Stephani necem, Christianam lucem Judæis Antiochensibus illatam fuisse. quamquam post annos aliquot majoribus incrementis amplificata illic Ecclesia coaluit.

Sed Chronologi mirificus est conflictus. Paulum & Barnabam, ad Antiochenam contributionem Jerosolymam perferendam, anno à conversione Pauli decimo quarto venisse dicit, Claudii sexto, Christi XLIX. Verùm absurdissimum id esse constat ex iis, quæ superiori capite demonstravimus. Etenim fames illa ab Agabo prædicta contigit anno Claudii secundo, Christi XLII. à conversione Pauli circiter decimo, certè vivo adhuc Herode Agrippa: ut ex Lucæ narratione patet. At Herodem probavimus obiisse anno tertio Claudii finito, Christi circiter XLIV. qui est à conversione Pauli plus minùs undecimus. Igitur ex accurata illa Spalatensis Chronologia triennio ferè post Herodis obitum fames illa grassata fuit; imo verò sex propemodum annis ab Herodis obitu, si anno Christi quadragesimo nono Paulus Antiochenum æs, quod ad famis subsidium contributum erat, Jerosolymam portavit. Atqui Lucas cap. XII, 1. dum ita scribit: *Eodem autem tempore misit Herodes rex manus:* docet sub idem tempus, quo fames incidit, Petrum esse vinctum. Id autem anno Claudii primo factum esse probavimus. Igitur anno secundo Claudii fame laboratum: adeóque Pauli profectio ineunte anno secundo Claudii contigit. Præterea primus annus Claudii καθολικῶς constitutus à nobis est anno ineunte Christi XLI. Herodis Agrippæ mors anno ineunte Christi XLIV. Quare cùm Jacobi necem in annum Christi XLVIII. Spalatensis conferat, ut & carcerem Petri; quinque circiter annis post Herodis obitum Jacobus occisus, Petrus in vincula conjectus fuerit: contra quàm Lucas scripsit. Sed & Paulus ipse triennio ferè ante Passionem Christi conversus erit. Si enim decimo quinto anno à conversione sua Paulus ad collectam portandam Jerosolyma pervenit, paullò ante famem; quam ostensum est anno incidisse Claudii secundo; cùm idem secundus annus Christi XLII. congruat: si XV. annos inde subducas, reliquus erit annus Christi XXVII. Itaque XXVIII. Christi anno Paulus conversus est. Ecce aliud portentum. Scribit anno Christi II. Petrum Antiochiæ sibi legisse sedem; *ut ibi ab Herodis persecutione tutus aliquamdiu conquiesceret.* Sequitur inde anno post Herodis obitum octavo, Petrum illius insidias timuisse. (Nam Herodes anno Christi XLIV. mortuus est.) quo nihil est ineptius. Sed in nugis istis frustra operam consumimus; quas præsertim alibi pleniùs discussimus. Ex eadem porrò responsione nostra, & exacta temporum ordinatione, Calvini, Magdeburgensium, ac reliquorum petitiones, quibus utramque Petri cathedram oppugnant, validissimè propulsantur.

CAPUT XIV.

Constituitur probabilis epocha Cathedræ ac sedis utriusque: tum necis Apostolorum.

QUÆ ab Hæreticis ex accurata annorum disputatione, & Actorum historia, contra Petri cathedram opponi solent, iis funditus eversis, ac convictis, nihil jam obstare potest, quin vetus, & apud Catholicos recepta traditio pondus suum & auctoritatem retineat. Quamobrem rectè id in Eusebii Chronico ad annum Claudii secundum adscribitur: *Petrus Apostolus quum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur: ubi Evangelium prædicans,* XXV. *annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.* Ubi Scaligeri conjectura probabilis est, Græcè πέμπεται scriptum fuisse, pro quo *mittendi* verbum Hieronymus posuerit. qui & in Catalogo eadem de Petro refert; nempe post Episcopatum Antiochiæ gestum, anno secundo Claudii Romam advenisse. Proinde diu ante secundum annum Claudii Petrus Antiochiæ sedem fixerat. Porrò Eusebiana illa totidem verbis expressa vetustissimis in membranis legimus ad annum II. Olympiadis CCV. ut in Scaligeri editione ponuntur. qui est annus Iphiti 818. qui cœpit anno Periodi Julianæ 4755. Christi 42. Ergo anno sequenti ineunte, Claudii exeunte secundo, Petrus Romanam cathedram erexit.

Et quamvis primæ istius Antiochiam profectionis Scriptura non meminit, est tamen verisimile sub illud tempus à Petro esse susceptam, quo, ut est Act. IX, 32. varias provincias obeundo peragravit; quod circa annum Christi XXXVII. contigit, quo Tiberii ultimus desiit, cœpítque Caii primus, Juliano LXXXII. Ac cùm ita dicitur; Petrum sedem Antiochiæ collocasse, non sic illud accipiendum, quasi perpetuò illic hæserit. quod præcipuum est firmamentum argumentationis totius, quæ adversus Petri cathedras ambas à Spalatensi, ac reliquo omni Hæreticorum grege comparatur. Hoc verò nimis est insulsum. Nam ut sedem alicubi statuerit, satis est ipsum moræ aliquantùm ibi fecisse; cùm interim ad vicinas urbes, & provincias egressus, suos ex intervallo reviseret. Neque verò diffitemur, antequam Petrus Cathedram Antiochiæ poneret, Christianos quosdam, ex illa prima dispersione post necem Stephani, Christianam fidem in eam civitatem intulisse, ut est Act. XI, 19. Quod quidem eodem, quo Christus, & Stephanus passi sunt, anno contigisse videtur. Est enim Spalatensis explosa ratio; qui quod Actorum illo capite, sub initium Claudii, fama ad Apostolos pervenisse dicitur Christianæ rei Antiochiæ propagatæ; non ante tempus istud arbitratur Ecclesiam illic constitutam fuisse. Sed non ita est. Statim enim à cæde Stephani dissipati Christiani Antiochiæ Christum prædicarunt. Sed majora sub id tempus, quo rumor ille percrebuit, incrementa cepit; cùm non ampliùs Judaïca se gente contineret Christi fides, sed ad Gentiles quoque pervaderet. Ob id Paulus & Barnabas ad eos allegantur, anno circiter Christi quadragesimo. Sed dubium est cùm Lucas ait Cyprios & Cyrenenses, qui Antiochiam venerunt, Græcis prædicasse, utrum Gentiles intelligat. Græcè est enim πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς: *ad Hellenistas.* Versu antecedente dixerat, discipulos illos, qui post Stephani necem dispersi sunt Antiochiam adeuntes solis prædicasse Judæis. Nunc quosdam ex illis etiam Hellenistis prædicasse dicit. Notum est Hellenistas sæpiùs pro Judæis usurpari, qui Græcè sacros libros legerent. Velut Act. VI, 1. & cap. IX, 29. Hic verò πρὸς Ἰουδαίους, non Ἕλληνας opponuntur, ut Gentes intelligi possint. Nisi fortè priores illi sub necem Stephani Hebraïcè tantummodo scientes in Hebræorum

Synagogis prædicaverint isti, utpote Cyprii, & Cyrenæi, etiam ad Hellenistas verba fecerint: & utriusque generis Antiochiæ Synagogas habuerint. Utcumque res habet, posterior hæc ad Græcos prædicatio, ex qua ingens ad Ecclesiam accessio facta est, aliquot annis priorem est secuta, quæ proximè antecedenti commate perstringitur.

Romanæ sedis initium iisdem ex auctoribus, & argumentis in æræ Christianæ XLIII. Claudii tertium incuntem meritò confertur. Nam si anno Claudii secundo, qui est Christi XLII. Romam profectus est Petrus, consequens est anno Christi XLIII. postquam Judæi saltem aliqui ad Christum adjuncti sunt, atque Ecclesia coalescere cœpit, Petrum ibi sedem erexisse * Orosius lib. VII. cap. VI. *Exordio regni ejus* (Claudii) *Petrus Apostolus Domini nostri Jesu Christi Romam venit, & salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbavit. Atque exin Christiani Romæ esse cœperunt.* Cassiodorus Coss. Saturnino II. & Venusto: *Petrus*, inquit, *Apostolus Romam mittitur, ubi Evangelium prædicans*, XXV. *annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.* Cuspinianus ad hunc locum scribit apud alium Scriptorem pro illis Coss. poni Tiberium Claudium II. & Longum. Consulatus II. Claudii, annus est ejus imperii itidem secundus, Christi XLII. Accedat & Severus Sulpitius, qui lib. II. Histor. de Neronis agens imperio, ita scribit. *Namque eo tempore divina apud Urbem religio invaluerat; Petro ibi Episcopatum gerente, & Paulo, posteaquam ab injusto Præsidis judicio Cæsarem appellaverat, Romam deducto.* Petrus igitur ante Paulum Romam venit, & Episcopus ibidem fuit. Imò verò primus Christianam eò fidem invexit, si Dionysio Corinthiorum Episcopo, Scriptori antiquissimo credimus; qui apud Eusebium lib. II. Histor. cap. XXIV. Petrum ait Romanam Ecclesiam fundasse. Proinde ex horum omnium, nec non Eusebii, Hieronymi, & aliorum, quos omittimus, auctoritate certum est, Petrum Romanæ Urbis Episcopum fuisse, ac longè ante suam Paulique necem illò pervenisse. Atque ut annorum Episcopatus Romani summam colligere possimus, prius inquirendum est, quo demum anno sit interfectus. Eusebius in Chronico, Hieronymus Catalogo, Cassiodorus, & alii, Petrum ac Paulum Neronis anno decimo quarto cæsos esse, memoriæ prodiderunt. Quod in Annalibus Ecclesiasticis ex eo refellitur, ad annum LXIX. quod cùm Neronis primus annus inierit ex ante diem XIII. Octobris, & octo menses dumtaxat anni decimi quarti confecerit, usque ad IV. Eid. Jun. & Apostoli tertio Kalend. Jul. necati sint; fieri nequeat, ut anno Neronis XIV. martyrium fecerint, sed antecedente, nimirum decimo tertio. Sed minimè reprehendendi sunt Veteres illi, qui Imperatorum annos non ab eo die putare solent, quo primùm inierunt, sed à civili, & populari anni primordio, quod illorum initium antecessit. Nonnumquam verò περηλληπτικῶς antevertunt; sive à Paschali mense, & Ecclesiastico anni exordio numerent; sive à Januario, præsertim cùm Romanas res persecribunt. Annus primus Neronis cœpit anno Juliano XCIX. Urbis DCCCVIII. æræ Dionysianæ LIV. Octobri. Annus ergo XIV. iniit anno æræ Dionysianæ LXVII. Fonteio Capitone, & Julio Rufo Coss. Quo anno passi sunt Apostoli, currente Neronis anno XIII. sed decimo quarto à Kalendis Januariis, vel Paschate. Firmissimè proinde stabilita est epocha necis Apostolorum in anno communis æræ LXVII. non, ut vulgò putant, LXIX. ut è cœlestibus phænomenis, & aliis rationum momentis validissimè demonstravimus. Ex quo cathedræ Romanæ tempus investigare licet. Nam à Januario anni Christi XLIII. quo primùm posita est, ad Junium anni LXVII. intervallum est annorum XXIV. mensium VI. Totidem annis Romanum Episcopatum Petrus obtinuit; Antiochenum verò sex solidis; ut & de septimo nonnihil libatum sit. Nam à Februario mense anni XXXVII. Dionysiani ad Januarium anni XLIII. Juliani anni septem inchoati sunt.

Cathedræ Romanæ tempus.

Cùm autem Apostolum Petrum cum Simone Mago Romæ certasse, & eum paullò ante mortem prostravisse Veteres plerique narrent; alii tamen certaminis hujus mentionem faciunt nullam, ut Justinus, Irenæus, Epiphanius, licèt alioqui Simonis historiam referant. Quin & ambigua res est, imperante Claudio, an Nerone Simon Romam advenerit. Nos cum Catholicis & eruditis viris bis Romam venisse Simonem Magum asserimus; primùm Claudio imperante, posteà verò Nerone. Quod enim è veteribus aliqui Petrum anno Claudii secundo Romam Simoni Mago se opponeret, venisse Petrum asserunt; alii sub Nerone; id non alia ratione potest commodiùs explicari, quàm ut bis Simonem in eam se Urbem infudisse dicamus. Sed plura de his in Annalibus Ecclesiasticis Baronius.

Simonis Magi duplex Romam advectus.

CAPUT XV.

De agone Neroneo, obitu, & ætate Neronis. Scaligeri error. Suetonii locus castigatus.

TACITUS libro Ann. XIV. auctor est Nerone IV. Corn. Cosso Coss. quinquennale ludicrum Romæ institutum esse, ad morem Græci certaminis. Hic annus est Urbis DCCCXIII. Julianus CV. Christi LX. De quo immeritò notatur à Scaligero Tacitus, quod cùm primum certamen Coss. illis retulerit, postea lib. XVI. Silio Nerva, & Attico Vestino Coss. secundo lustro, idem ludicrum celebratum esse dicat. Id ejusmodi erratum esse putat, nullam uti latebram habere possit. Nam Coss. isti cadunt in annum Urbis conditæ DCCCXVIII. Christi LXV. qui sextus est ab eo, quo primus agon est commissus. Atqui quinquennalem fuisse dicit, non sexennalem. Hæc Scaliger. Verùm nullus hìc error Taciti est. Quinquennalis enim agon iste, id est quinque solidis annis vertentibus instauratus fuit; prorsus eo modo, quo Romanum lustrum: non ut Olympias, aut Julianum quadriennium. Eusebius id ad annum quartum adnotavit Olymp. CCIX. Abraami MMLXXVI. Rectè. Nam additis ex perpetua methodo annis 2696. confiunt anni Periodi Julianæ 4772. Annus verò quartus Olymp. CCIX. Eusebiano more cœpit ab Autumno anni 4772. Christi quinquagesimo nono. Verba Eusebii: *Nero Romæ cithara contendens superat.* At idem mox ad annum tertium Olympiadis CCX. *Nero Romæ in citharistarum agone contendens omnes superat.* Non est hìc secundus agon Neroneus, quem Tacitus Nerva & Attico Coss. celebratum ait. Etenim annus ille posterior Eusebii iniit anno Periodi Julianæ 4775. Unde certamen in 4776. congruit. At secundum ludicrum à Tacito confertur in annum 4778. Verùm ante legitimum tempus Nero certamen illud repræsentavit. Suetonius cap. XXI. *Cùm magni æstimaret cantare, etiam Romæ Neroneum agona ante præstitutam diem revocavit.*

Imperavit Nero annos ferè XIV. hoc est tredecim solidos cum mensibus octo, ut refert Dio. Eusebius menses VII. dies XXVIII. numerat. Cœpit enim Octobris XIV. anno Christi LIV. à quo putati anni XIII. menses VIII. desinunt in Junii circiter XIII. anni Dionysiani LXVIII. quo mortuus est, anno Urbis DCCCXXI. Juliano CXIII. C. Silio Italico, & Trachalo Coss. Testatur hoc inter alios Plinius lib. III. Epist. VII. Suetonius cap. LVIII. obiisse dicit *anno ætatis tricesimo & secundo, die quo quondam Octaviam interemerat.* Sed mirum est non animadvertisse eruditos viros, qui ad Suetonium Commentaria scripserunt, & eumdem interpolarunt, lectionis illius, quam eidem affingunt, cum posterioribus iisce conflictum. Scripserat enim, ut illi legunt, cap. VI. *Natum esse Neronem Antii post* IX. *menses, quàm Tiberius excessit*, XVIII. *Kal. Jan.* Ita Pulmannus ex Turnebo: quòd in vetusto codice scriptum sit; *natus est ante post.* quæ lectio deinde in editionibus omnibus propagata fuit. In antiquis tamen exstat: *Nero natus est ante* IX. *menses, quàm Tiberius excessit.* quod idem & in Manuscriptis omnibus repertum à se testatur Torrentius; nisi

* *Prosper* in dimid. Temp. cap. V. *Petrus & Paulus in Urbe Roma Gentium Ecclesiam, in qua Christi Domini doctrinam erudierunt, pacatam unamque posteris tradentes, sanguine memoriisque suis ex Dominica Passione sacrarunt.* Irenæus lib. III. cap. I. ait *Petrum & Paulum fundasse Romanam Ecclesiam, quando Matthæus scripsit Evangelium.* Petavius.

nisi quod in uno erat; *Natus est ante nonum mensem*, &c. Si hæc veterum omnium constans est lectio, doctorum Criticorum facinus mirari magis, quàm probare possum, qui Turnebi conjecturam in contextum ipsum admittere ausi sunt. Cujus quidem conjecturæ etiam Guilelmo Pelisserio Montispessulani Episcopo venerat in mentem, eámque ad oram sui codicis adnotarat; quem cum veteri Scripto primariæ notæ contulerat. In eo porrò ita scriptum erat: *natus est ante post* IX. *menses.* Verùm animadvertere omnes illi debuerant, pugnare Suetonii locum istum cum eo, quem ex cap. LVII. modò produximus. Si enim eodem anno Juliano, quo Tiberius mortuus est, post IX. menses; id est XVIII. Kalend. Januar. sive Decembris XV. natus est Nero; contigerit hoc Acerronio Proculo, & C. Pontio Coss. anno Julianæ editionis LXXXII. Christi verò XXXVII. cyclo Lunæ XIX. Obiit Nero Silio, & Trachalo Coss. anno Christi LXVIII. cyclo Lunæ XII. Intervallum à die Decembris XV. anni Christi XXXVII. ad Junii XIII. diem anni LXVIII. est annorum solidorum XXX. dierum CXII. sive mensium circiter sex. Itaque anno tricesimo primo ætatis, non tricesimo secundo mortuus est Nero. Sanè Dio vixisse Neronem refert annos triginta, menses novem. Sed hoc ipsum adversatur Suetonio; cujus sine dubio auctoritas est potior. Emendetur itaque locus ille frustrà vexatus à Criticis, atque ita reformetur: *Natus est ante* III. *menses, quàm Tiberius excessit.* Ita verum esse potest, quod idem Scriptor asserit, mortuum esse anno tricesimo secundo ætatis Neronem; aliter non potest. Quinetiam Suetonius idem cap. VI. Neronem scribit trimulum amisisse patrem; & subinde matrem esse relegatam. At relegata est Agrippina Caisoror anno Urbis DCCXCII. ut ex Dione liquet, Christi XXXIX. Quare si anno Christi XXXVII. exeunte natus sit, nonnisi bimulus tum fuerit. Quod rectè Joannes Herwartus animadvertit.

CAPUT XVI.

De imperio Galbæ, Othonis, Vitellii, & Vespasiani.

TRIUM, qui sequuntur, Imperatorum confusa sunt ac perplexa tempora. De quibus hæc ex historia colliguntur. Galbam Suetonius ait septimo imperii mense trucidatum esse; cui & Eusebii Chronicon adstipulatur, & Sex. Aurelius Victor P. Andreæ Schotti, qui mense ac die septimo cæsum esse refert. Dio novem menses, dies XIII. assignat. Initium Galbæ idem annus, qui & Neroni necem, attulit, nempe Julianus CXIII. Christi LXVIII. Itaque septimus Galbæ mensis incidit in annum sequentem, Christi LXIX. ut cæsum illum oporteat esse Januarii circiter XVI. die. Accidit hoc sine dubio Ser. ipso Galba II. Tito Vinio Coss. ut auctor est Tacitus lib. I. Histor. qui Coss. competunt in annum Urbis DCCCXXII. Christi LXIX. Hoc si verum est, falsum erit quod Tacitus & Suetonius produnt, periiisse Galbam anno ætatis septuagesimo tertio: aut, quod Dio refert, vixisse duos & septuaginta; si quidem natus est, auctore Suetonio, M. Valerio Messala, & Cn. Lentulo Coss. Etenim Consulatus istorum incurrit in annum Julianum XLIII. quo exeunte, IX. Kalend. Januar. natus dicitur Galba. Obitus ejusdem accidit anno Juliano CXIV. Igitur anno Juliano CXIII. Decembris XXIV. iniit annus Galbæ septuagesimus primus. Quocirca cùm in ætatem Galbæ Historici plerique consentiant. (Nam ad illos tres etiam Eutropius accedit, & Zonaras:) propiùs verò est mendosum esse Suetonium, ac biennio antè natum esse Galbam, Augusto XII. & L. Sulla Coss. non Lentulo, & Messala. Galbæ Salvius Otho: Othoni Vitellius successit. Quamquam iste superstite adhuc Galba defecit, Germanicarum legionum, quibus consularis Legatus præerat, auxilio fretus. Sed Otho primus Imperator censetur; qui dies non ampliùs XC. vel XCV. imperavit. Mortuus est septimo & tricesimo ætatis anno, ait Tacitus lib. II. Histor. Suetonius tricesimo octavo. Idem natum esse scribit Othonem IV. Kalend. Maii, Camillo Aruntio, Domitio Ænobarbo Coss. Fuit hic annus Urbis DCCCLXXXV. Julianus LXXVII. Christi XXXII. à quo anno, diéque Februarii XXVI. ad XX. Aprilis anni Christianæ æræ LXIX. intersunt anni solidi XXXVIII. minùs dies VII. Accuratiùs itaque Tacitus anno tricesimo septimo ætatis mortuum esse scribit, quàm Suetonius, qui tricesimo octavo. Dio vixisse refert annos XXXVII. minùs XI. diebus. Quare fallitur Scaliger, qui ex Taciti sententia consequens esse dicit, Othonem ante cædem Galbæ mortuum esse, siquidem tricesimo septimo anno mortuus est. Nam vergente ad exitum anno isto, & instante XXXVIII. revera cæsus est.

Maius in annis Vitellii historiæ diffidium est. Cui quidem imperii menses XI. dies circiter XX. Dio tribuit. Septimum & quinquagesimum annum explesse Tacitus in calce lib. III. Histor. ait. Suetonius anno ipso LVII. mortuum esse. Dio verò vixisse refert annos LIV. Natus est, auctore Suetonio, VIII. Kalendas Octobres, vel VII. Eid. Septembr. Druso Cæsare, Norbano Flacco Coss. Est hic annus Julianus IX. Christi XV. Ab hoc anno, diéque Septembr. XXIV. ad finem anni Christi LXIX. quo occisus est Vitellius, anni sunt solidi LIV. menses tres. Aut igitur quinquaginta tantùm annos explevit, ut Dio significat; falsique sunt Tacitus, Suetonius, Eutropius, qui septuagesimum septimum imputant. Victor ampliùs quinque & quinquaginta. Aut unus hallucinatur Suetonius, qui biennio tardiùs natalem illius reddit. Imperavit Vitellius ab eo die, quo in Germania salutatus est Imperator, annum unum, minùs diebus decem, ait Dio; ab Othonis obitu, menses octo, dies quinque.

Vespasianus natus est XV. *Kal. Dec. vesperi* (ait Sueto.) *Q. Sulpitio Camerino, C. Poppæo Sabino Coss. quinquennio antequàm Augustus excederet.* Mortuus est *Consulatu suo nono* (ait idem) VIII. *Kalend. Julii, annum agens ætatis sexagesimum ac nonum, supérque mensem, ac diem septimum.* Coss. illi, quibus natus dicitur, annum obtinent Urbis DCCLXII. Julianum LIV. Christi IX. cyclo Lunæ X. A die Novembris XVII. anni Christi noni ad annum, quo Vespasianus nonum Consulatum gessit, qui est Christi LXXIX. ejúsque Junii diem XXIV. anni intercedunt solidi LXIX. menses VII. dies VIII. vel IX. De ejusdem imperio scribit cap. VI. Suetonius, Tiberium Alexandrum Ægypti Præfectum *in verba Vespasiani legiones adegisse Kalendis Julii, qui principatus dies in posterum servatus est.* Cœpit igitur anno æræ Dionysianæ LXIX. à cujus Kalendis Juliis ad usque diem obitus, anni sunt solidi decem, minùs dies sex, quot & Dio numeravit. Mortuus est ergo anno Christi LXXIX. Xiphilinus è Dione inter Neronis obitum & initium Vespasiani annum unum & dies XXII. intercessisse scribit; additque superiorum Imperatorum tempora inter se confusa esse, atque permista.

CAPUT XVII.

De Vespasiani Consulatibus.

ANNO Urbis conditæ octingentesimo vicesimo quinto Coss. ponuntur ab Onufrio & à nobis, Vespasianus August. IV. Titus Cæsar Vespasianus II. Baronius ad annum Christi LXXIV. contendit nonnisi tertiùm Consulem anno isto patrem fuisse. Primò quia Plinius lib. II. cap. XIII. Vespasianum III. Consulem cum Tito II. comparat. Deinde quia primum Consulatum non ordinarium, sed suffectum Vespasianus habuit, ut Suetonius cap. IV. indicat. At suffecti Consules non ante Severi tempora in Fastis numerari cœperunt. Ex quo complures alios Fastorum vulgarium errores corrigendos esse dicit idem Annalium pater.

Sed rectè à nobis Vespasianum Cos. IV. cum Tito II. fuisse compositum, præter Fastorum Siculorum, & Ignoti illius auctoris, quem citat Cuspinianus, fidem; (nam Cassiodorus Vespasianum IV. & Titum II. conjungit:) veteres etiam inscriptiones lapidum, & numorum idem persuadent. Apud Occonem numi tres his ipsis Consulatibus notati leguntur. unus apud Onufrium. Deinde in alio numo Trib. Pot. II. & Cos. III. inscribitur. Is est annus Christi LXXI. quo Tribunitiæ potestatis annus secundus adhuc erat in cursu Kalendis Januar. quibus tertium Consulatum iniit. At anno sequenti Tribunitiæ potestatis III. non II. fuit. Item Romæ in aquæductu Aquæ Claudiæ IMP. CÆSAR VESPASIANUS AUGUST. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII.